

DISSERTATIONISⁱ PARS PRIMA.

In duas partes DISSERTATIONEM dividimus, in quarum prima illa tractamus, quæ ad principalem controversiam, quasi fundamenta, præmittuntur: Brutios nimis rum, quia a Romanis ad Hannibalem non defecerunt, nec poena fuisse multatos, ut Tortorum munus exerce rent; cuius oppositum est præcipuum Adversario rum, aut argumentum, aut commentum. In altera vero de natione Tortorum Christi agetur, quos Brutios non fuisse eo fortius demonstrabitur, quo in præcedenti probatum fuerit, illos nec culpa, quæ falso iisdem imponitur, fuisse notatos, nec poena, qua injuste inuruntur, fuisse perculsus. Ad rem deveniamus; & nuperum Scriptorem Gallum, contra quem præcipue agimus, ejusque verba, ad exactam trutinam revocemus.

§. I.

Nuperi Scriptoris Galli verba recitantur; & Operis analysis exhibetur.



E hostem videamur nobis finge re, neve arma, quibus militat, pro nostro libito efformare, consultum ducimus, ad literam exponere verba nuperi Scriptoris, contra quem dimicamus; ut in iis rationum momenta commo dius possint Legentes perpendere, & responsiones nostras fir miori animo examinare. Accidit nanque ut pluri mum, quod Auctorum testimonia referantur, quæ

A

contra